

**Dissertatio medica inauguralis quaedam de mentis alienatione
complectens ... / eruditorum examini subjicit Joannes Aitken Carlyle.**

Contributors

Carlyle, John Aitken, 1801-1879.
Dickson, Robert
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebant Jac. Ballantyne et socii, 1826.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/p4djqkby>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>


DISSE^TRAT^O MEDICA 4
INAUGURALIS
QUÆDAM
DE MENTIS ALIENATIONE
COMPLECTENS;
QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, S.S. T.P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;
NECNON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;
Pro Gradu Doctoris,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;
ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT
JOANNES AITKEN CARLYLE,
Scotus,
CHIRURGUS.

'Ο δὲ γυνὴ ἐσκέψατο.

ILIAS, Lib. I.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBANT JAC. BALLANTYNE ET SOCI.
MDCCXXVI.



FRATRI SUO CARISSIMO

AMICOQUE OPTIMO

THOMÆ CARLYLE,

ARMIGERO ;

HOC PARVULUM

SED

GRATI ANIMI

VERUM TESTIMONIUM,

ACCEPTUM

VULT

AUCTOR.

OMNIBUS QUA LIBERTATI

OMNIBUS QUA LIBERTATI

OMNIBUS QUA LIBERTATI


OMNIBUS QUA LIBERTATI

Of all God's works which doe this world adorne,
There is no one more faire and excellent,
Then is man's bodie, both for powre and forme,
Whiles it is kept in sober gouernment ;
But none then it more foule and indecent,
Distempred through misrule and passions base :
It growes a Monster and incontinent,
Doth lose his dignitie and natvie grace.

FAERIE QUEENE, B. II. Canto IX.

ROTONDA

Robert Dickson Esq. M. D.
With best respects of



DISSERTATIO INAUGURALIS

QUÆDAM DE

MENTIS ALIENATIONE COMPLECTENS.

AUCTORE JOANNE AITKEN CARLYLE.

TANTAM inter corpus et animum, hac in vita, existere consensionem, ut perpetuo se invicem affiant, docent quemvis sua experientia et quotidiana observatio. Etsi enim qua ratione corpus animum, animusque corpus afficiat, prorsus ignoremus; effectus tamen mutuae inter se consensionis evidentissimi sunt. Non est hic locus enumerandi varios et pæne innumeros morbos, qui ab animi perturbationibus, aut originem, aut sationem, duxerint. Horum exemplis medicæ historiæ scatent. Ex repentinis animi affectibus, gaudio, terrore, ira, sæpe mors subita evenit.

Medicis omnibus est notum, imaginationis vires in augendis vel levandis morbis maximas et fere infinitas esse. Contra autem mens, ipsa “divinæ particula auræ,” cogitationum immortalium particeps, quod ad vigorem et sanitatem, multum e vilissimis corporis functionibus pendet. A prava enim concoctione, a mala cœli temperie, oriuntur animi anxietas, mœstitia, insolita ad irascendum proclivitas; cum phthisin pulmonalem, omnium morborum exitiosissimum, usque ad finem comitentur, hilaritas insueta, spes maxima, fiducia omnium rerum, ad ægri ipsius aut amicorum fortunam pertinentium. Effectus haud obscuros vini, opii, aliorumque per corpus in mentem agentium, quippe qui omnibus noti sunt, necesse non est dicere. Hæc pauca tantummodo præfanda putavi, quia mihi persuasum est, neminem, nisi hujus inter corpus et mentem consensus ratione habita, aut naturam mentis alienationis aut rectam curationem intelligere unquam posse.

Mihi non alienum videbatur, si aliquid temporis tribuerem investigandæ insaniae, utpote quæ dirissima omnium calamitatum quibus ho-

mines plectuntur, summam medici attentionem desideret. Argumentum sane difficillimum est, et vix ea qua decet cura adhuc scrutatum. Profecto de natura insaniae multum disseruerunt philosophi; effectus ejus miserabiles et acerbos eximii cecinerunt poetæ. Verum enimvero fere ad hæc tempora, mentis alienatio vix medicis curæ fuit. Insanabilis enim putabatur, terroris et lamentationis causa, potius quam quæ ullam curationis spem præbuerit. Quid mirum? Per multa sæcula alta caligine offusa, monachis austoris, immitibus traditi erant insanientes, ut qui, irato Numine, in pœnam peccatorum furore perciti, nullam nisi precibus, incantamentis, verberibus, jejuniis, sanationem accepturi essent. His enim remediis, nec minimo discrimine usitatis, monachi confisi sunt. Immo etiam desipientes miserabiles, ut sagas et veneficos, saepius igne concremaverunt.* Mens autem humana, abjectis

* Vide WYER Præstig. Dæmon. Lib. VIII. Cap. 22, &c.
De his immanitatibus ita scripsit SPRENGEL: "Die Einkünfte der Inquisitoren waren auf die Hexen angewiesen: von jedem Kopf bekam der Inquisitor vier bis fünf Thaler. Ist

superstitionis vinculis, innatam sibi vindicavit libertatem ; et inter plurima bona exinde provenientia, insanorum curatio medicis vera scientia imbutis commissa est, et ad normam rectæ rationis et humanitatis constituta. Consilium est igitur quam brevissime et simplicissime de insaniae signis, causis et ratione medendi, dicere. Prius autem quam longius progredior, non abs re erit, pauca de definitione proferre.

Unusquisque de hoc morbo scripturus, perspecta rectæ definitionis utilitate, imprimis conatus est constituere quæ sit insaniam, quomodo definienda. Et profecto de hac re quot scriptores, tot sententias habemus. Nonnullis et his quidem jure magnæ auctoritatis, visum est, insaniam in hoc consistere quod “ *Mentis judicantis functiones læsæ sint.*” Perperam, ni fallor ; inter omnes enim constat, plurimos insanientes, insolito acumine, ratiocinari ; et hoc quidem juriscon-

es bey dieser höllischen Einrichtung wohl Wunder, wenn ein Inquisitor sich rühmte 2000 florin. *erbrannt* zu haben, wovon er im Alter leben könne ?” Vid. SPRENGEL’s Geschichte der Arzneykunde, § 13.

sultis bene cognitum est.* Si cum aliis assentiri remur, “*Omnem imaginationis mentisque a recta ratione aberrationem*” esse insaniam; certe omnibus Anticyram navigandum esset. Quis enim aliquando et mente et imaginatione non aberrat? Longum esset cæteras de hac re opiniones memorare, et prorsus inutile. Quia perspicuum est insaniam in genere definiri non posse. Ut pulchritudo post multas philosophorum disputationes, nullis verbis describenda vel definienda, facillime tamen agnoscatur, ita mens sana. “Nullus enim existit limes accuratus inter mentem sanam et vesaniam. Omnis præter solitum hilaritas ad insaniam vergit, et mœstus et meticulosus animus ad melancholiam appropinquat.” Forsan sat fuerit medicis et jurisconsultis novisse, hominem omnino insanum esse, si mens ejus ita læsa sit, ut neque valeat ad munera vitæ civilis perfungenda, neque ad suas aut amicorum res gerendas. Hactenus de definitione, nunc ad signa veniam.

* ERSKINE inquit, “ Such persons often reason with a subtlety which puts in shade the ordinary conceptions of mankind, their conclusions are just, and frequently profound.”

Apud plerosque scriptores hodiernos, mentis alienatio in species quatuor diducta est. *Mania* ea species est, in qua æger de omnibus rebus æque desipit; *Melancholia*, ubi de re una aut saltem de paucis rebus, delirat. *Amentia* est omnium mentis facultatum imbecillitas. In *Fatuitate*, omne rationis lumen, omnis imaginationis vis deleta aut prorsus obruta videtur. Duæ priores solummodo sub medici cura veniunt. Amentia enim et Fatuitas omnino insanabiles, utpote quæ a mala capitum conformatio, aut aliquo cerebri vitio organico, aut denique mania vel melancholia diuturna et incurabili, oriantur. Maniae autem Melancholia ita affinis est, ut sæpe vices commutent, atque altera in alteram transeat. Non est igitur consilium de utraque seorsim tractare, sed pauca de mentis alienatione generatim dicere.

Symptomata maxime variant pro ratione causarum excitantium. Et ut inter sanos homines alter alteri, moribus, mente et opinionibus omnino similis inveniri non potest; sic ex insanientibus, eadem causa excitante applicata,

alius alio modo desipit. Alii tristes, taciturni ; alii hilares et loquaces ; alii meticulosi, suspicaces, cæterorum consuetudinem et societatem effugientes, se inimicis objectos et insidiis undique circumventos pertinaciter credunt ; alii furibundi, audaces, vix continendi quin in proximos quosque impetum faciant ; alii mortem vehementer pertimescunt ; alii vim sibi inferre sumopere conantur. Ex desipientibus plurimi valde instabiles, nunc in risus nunc in lachrymas effusi, modo liberales et prodigi, modo tenaces et avari, de minimis ridiculisque rebus solliciti sunt. Nonnulli sese præsules, reges, deos jactant, ideoque aliis imperant, summamque sibi reverentiam vindicant. Quid multa ? Singulæ insanendi formæ, nisi singula exempla narrando, enumerari non possunt. Fere omnibus autem quædam communia sunt. Expressio vultus mutata vix describenda, facile cognoscenda ; novus cogitandi et sentiendi ordo, itaque odium in amicos quos antea optime dilexerint ; summa hallucinationibus fides tributa, et ex minima contradictione gravis iracundia. Hoc etiam insanis fere

omnibus peculiare est, quod de rebus ad seipsos non pertinentibus recte judicant.*

Vehementiore morbo, oculi et facies tota rubent; rapida fit cogitationum series; loquentia inanis quam celerrima; ex altero in alterum argumentum summa properantia; sensus externarum et internarum rerum adeo imminutus ut vix ullus restare videatur: plurimi enim furiosi, algoris, inediae, vigiliae, sunt patientes supra quam cuique credibile est.† Vis muscularum ita non-

* Modo audivi ex viro fide dignissimo, se nuperrime apud valetudinarium mente captorum Germanicum duos insanientes vidisse, quorum uterque se Messian putabat, personamque Dei, quantum poterat, gestu, voce, auctoritate, et minis, sustinebat. Utrique mos erat, cæteros insanos visentibus commonistrare, de eorumque dementia quam subtilissime ratiocinari. “Homo iste,” dicere, solitus erat aliis ad alium Messian accedens, “coram adeo stultus impudensque est, ut se Dei filium credat.”

† Naturæ poeta et interpres, hoc bene perspecto, ita scripsit:

“ — When the mind’s free,
The body’s delicate : the tempest in my mind
Doth from my senses take all feeling else,
Save what beats there.”—KING LEAR.

Vid. FODERE Traitè du Delire, tom. I. p. 502 et seqq. In *Actis Academiac Naturæ Curios.* memoriae proditum est in sanientem, qui se Messian censebat, ut sibi constaret, quadraginta dies et sine detimento famem tolerasse.

nunquam aucta, ut plures homines unum insani-
entem vix possint continere. Morbo autem
mitiore aut vetustiore, hæc minime perpetua
sunt, immo etiam omnino contraria haud raro
incident.

Nonnulli demum perpetuo et sine ulla inter-
missione insipiunt; alii vero intervallis, modo
longioribus, modo brevioribus; modo statis at-
que certis; modo contra incertis et erraticis;
modo ita dissitis ut idem homo bis terve in vita
solummodo afficiatur.

His de symptomatibus propositis, nunc ad
causas accedo. Prius autem quam longius pro-
grediar, de causis prædisponentibus dicendum
est; quoniam nisi aliquid ad insaniam proclivi-
tatis existit, causæ excitantes hominem insa-
num vix faciunt.

Igitur parentibus mente captis nati huic mor-
bo maxime obnoxii sunt. Ut in prole sæpe in-
genium et imaginem parentum sic ad varios mor-
bos eandem proclivitatem videmus. Quomodo id
efficiatur, qua structura animi aut corporis, ex-
plicare non possumus; ex multa tamen experi-

entia satis comprobatum est, et fortasse in nullo morbo magis quam in insania evidens. Quamvis enim desipientiae semina per plures annos latentia, scilicet nullis causis excitantibus admotis, vix sese aperte ostenderint; facillime tamen, occasione data, erumpent. Huic proclivitati hereditariæ aliquantum affinis videtur illud, ut insania, ubi semel inciderit, ex levissima causa fit recidiva.

Ex caeteris hominibus, nullus omnino exemptus est, quin mentis alienatione affici possit. Qui autem, fervido et mobili temperamento prædicti, vitam curis et sollicitudinibus anxiam, et magnis frustrationibus obnoxiam degunt; quos honorum et dignitatum cupiditas et ambitio, aut se præ cæteris efferendi studium, occupat; quos auri sacra fames et insatiabilis avaritia exercet; qui, abjecta religione et virtute, irrefrænati sese libidinibus, voluptatibus sordidis, et omni pravo facinori, præcipites dant: hi omnes ad desipientiam, quam alii multo procliviores sunt.

Inter causas quæ in homine jam proclivi facto insaniam excitant, affectus animi vehementes,

repentini, diuturni, gaudia* imprimis, iræ, mœrores, formidines; spes frustratæ; studia immodica, enumerari possunt. Ex corporis vitiis stultitiam excitantibus, injurias capiti illatas; viscerum abdominalium morbos; evacuationes et excretiones solitas suppressas; eruptiones cutaneas nimis subito exsiccatas, commemorant auctores. Etiam febres diutinas debilitantes, usum argenti vivi nimis longum, puerperium, morbum regium, nonnunquam insania sequitur. Morbi comitialis, choreæ, paralyseos, apoplexiæ amentia frequens est comes et effectus.

Nulla autem gravior insaniendi causa quam supersticio dira et inanis. Cum fanatici et fu-

* Mirum est, quod gaudia, vehementius quam luctus et in corpus et mentem agant. Novi plures ex gaudio immodico insanientes. Liceat etiam MEADII sententiam proferre. "Audivi olim," inquit, "Haleum in nosocomio mente captorum Londinensi medicum experientissimum, haud semel dicentem, anno M.DCC.XX civium nostrorum fortunis adeo infausto (quo societas ad commercium per Mare Australe promovendum instituta artibus dolosis ad lucrum faciendum viam invenit), se multo plures curæ suæ commissos tractasse; quos ad immenses opes evexerat fortunæ favor, quam quos iniqua ad misericordiam et pauperiem redegerat."

rentes prædicatores, ex pulpitis, voce horrida et imprecationibus diris, æterna supplicia omnibus a seipsis alienis, quasi Deo jubente, minitent ; quid mirum, si rudium et incultorum mentes et imaginationes perturbant et terrefaciunt ? Ex tali causa desipientes, nihil, nisi de irato Deo perpetuas pœnas poscente, cogitant aut loquuntur. Et fortasse nulla insaniendi forma difficultiorem curationem accipit.

Ex nonnullis causarum supra recensitarum explicari potest ; quî fit ut apud respublicas, et nationes liberas, quam apud imperia despotica, insania frequentior sit, inter gentes barbaras et incultas, nulla ;* quî fit ut stultitia vix ante pubertatem, frequentissime inter vicesimum et quadagesimum ætatis annum, sese ostendat ; quîque demum evenit ut hic morbus indies increscat, idque multo magis quam pro rata populorum.

Hæc quidem de symptomatibus. Nunc dicendum de vitiis corporis ex quibus insania pendeat. BOERHAAVIUS sæculi præteriti celeberrimus auctor medicus, ita scripsit : “ Notandum vero ana-

* Non agitur de Cretinismo aut Fatuitate congenita.

tomica sectione constitisse horum (insanientium) cerebrum siccum, durum, friabile, in suo cortice flavum ; vasa autem turgentia, varicosa, atro tenaci cruento distentafuisse." MORGAGNIUS etiam, sex incisionibus mortuorum factis, cerebrum durius et siccius justo, cerebellum nimis molle, inventit. Perpensis autem omnium ante suum tempus anatomicorum sententiis, ita censuit : " Atque ut intelligas cur eam duritatem tanti non faciam, scias velim, in quibusdam pariter qui minime stulti erant, cerebrum me non minus durum invenisse ; sic in mortuo ex thoracis inflammatione ; sic in altera quae ex femoris fractura obierat.—Adde etiam stultitiam esse posse sine cerebri duritate ; a multis enim anatomicis cerebrum flaccidum laxumque inventum fuit."* GREDINGIUS, plurimis apertis cadaveribus, adeo multa et varia cerebri, ipsiusque partium vitia enumerat, ut, post diligentissimam lectionem, quidnam maximi faceres, impossibile sit dicere. Aliorum auctorum opiniones et conjecturas commemorare operae non pretium erit ;

* De Causis et Sedibus Morb. Epist. viii.

adhuc enim verum est quod clar. GREGORY de hac re dixit :—“ Facta crebri vel partis ejus cuiusvis læsione, tumore, osse in mucronem crescente et irritante, &c. nemo praedixerit quidnam mali talis læsio factura sit ; epilepsiam, apoplexiam, hemiplegiam, stuporem, melancholiam, furorem, dolorem capitis, aut nil præter solitum. Non desunt enim exempla hominum, qui post amissam haud exiguam cerebri partem, convaluerunt, et diu vixerunt ; vel qui, corrupta magna cerebri parte, nil incommodi percepérunt, donec tandem subito corruerint, convulsi et moribundi.” Quale sit igitur cerebri vitium mentis alienationi peculiare, non cognoscimus. Vix enim aliquid certi adhuc repertum est. Mensem semper morbi expertem esse, ut quæ incorporea immortalisque sit, certe putamus, logice autem demonstrare non possumus. Quæ sit intima corporis aut animi natura, non intelligimus. Omnis igitur de his ratiocinatio dubia sit an- cepsque, necesse est. Medicus autem in memoria tenere debet corpus et mentem, ut supradictum est, ita in sese mutuo agere, ut ad curandos insanientes nihil profecturus sit, nisi mentis pariter atque corporis rationem habuerit.

Prognosis ex multis rebus colligitur. Morbo recentiore, et subito aborto, et in juvēne, magnam; vetustiore autem et paulatim crescente et in homine seniore aut parentibus mente captis nato, vix ullam curationis spem, dare licet. Levior morbus cum hilaritate aut furore, quam tristitia aut imbecillitate insanientium. Post puerperium mente captæ plerumque ad sanitatem reducuntur. Insania ex febribus, aut aliqua corporis debilitate orta, fere semper curabitur. Insipientia ex morbo comitiali, chorea, paralysi, aut apoplexia originem ducens, plerumque incurabilis est. Nonnunquam sanitatem expectare licet; a febribus varii generis supervenientibus; a fluxu sanguinis ex naribus; a hæmorrhoidibus, aut a menstruis redeuntibus; a ptyalismo; a morbis cutaneis.* **HIPPOCRATES** ita scripsit:—“Insanientibus si varices, aut hæmorrhoides supervenerint, insaniæ solutio fit.” (Aph. 21, § vi.) Item “Ab insania dysenteria, aut hydrops, aut mentis emotio, bonum.” (Aph. 5, § vii.)

* Harum omnium criseōn exempla relata invenies, in *Foderè Traité du Delire*, tom. i. p. 530, et seq.

Restat ut pauca de curatione dicam. Quomodo fiat ut apud antiquos, helleborus adeo magnis efferretur laudibus in mentis alienatione curanda, nisi morbo aut remedio omnino dissimili posito, nec explanare nec intelligere possumus. “Si imagines fallunt,” inquit CELSUS, “ante omnia videndum est tristes an hilares sint. In tristitia, nigrum veratrum dejectionis causa; in hilaritate, album ad vomitum excitandum, dari debet. Nam si bene se purgaverit, ex magna parte morbum levabit.” Hoc autem medicamentum, et alia quamplurima auctoribus magni nominis fere æque celebrata, jamdiu obsoleverunt. Remedia *specifica* in curatione insaniae diutius quærere, medicos tædet et pudet. In hoc enim morbo tam vario tamque multiplice, singula singulis symptomatibus adaptanda sunt. Et majores successus in sananda mentis alienatione, magna saltem ex parte, hodiernæ in remediis adhibendis discriminationi majori, debemus.*

* Quantum medici in curanda insanias præstiterint, hujus opusculi limites et natura, exemplis ostendere non sinunt. De hac re autem vid.—*Dictionnaire des Sciences Médicales*, tom. xvi. Art. *Folie*.

Ubi aliquis insanire incipit, a causis excitantibus, quantum fieri potest, removendus est. Omnibus fere insanientibus loci et vitæ mutatio perutilis erit; quia novis rerum impressionibus, novaque objectorum serie, falsæ inordinataeque perceptiones et ideæ nonnunquam delentur, aut in rectam ordinem rediguntur. Exercitatio omnis modica, et citra magnam fatigationem, animo pariter atque corpori prodest; itaque mente captis idonea sunt, equitationes, ambulationes, itinera, navigationes, horti aut agri cultura, ludi omnes, in quibus mens exhilaretur corpus jucunde et leniter exerceatur. Quicquid enim ad corporis sanitatem conferat; quicquid mentem occupare, et a rebus, quas alienas æger cogitat, imaginationem abstrahere valeat; idem ad insaniam curandam multum proficiet. Insanos ad agendum excitare, ad ordinem actionum servandam assuefacere, maxime convenit.* Ignominia

* Poetæ ac philosophi hoc ævo facile principis sententiam non possumus non citare:—“ Ausser dem Physischen, sagte der Geistliche, das uns oft unüberwindliche Schwierigkeiten in den Weg legt, und worüber ich einen denkenden Arzt zu Rathe ziehe, finde ich die Mittel vom Wahnsinne zu heilen sehr einfach. Es sind eben dieselben wodurch man gesunde

et reprehensione, aut coercitione, ubi perperam aliquid fecerint, reprimendi sunt; blanditiis, honoribus, ubi melius se gesserint, incitandi. Sæpius tamen assentiendum est, quam repugnandum. Medicus autem gerere se pro cujusque indole et natura, et pro morbi causa debet.

Ubi morbus recens est, et in homine mediæ ætatis, et pleni habitus, si pulsus validus, rubor faciei et oculorum, et alia signa phreniticis communia, se ostendunt, *Sanguinis missio* aliquando utilis erit. Caput usque ad cutem radendum est. *Alvi ductiones*, ubi magna obstipatio est, et cruditas intestinalium, necessariæ sunt. Hoc autem semper in memoria tenendum est, ut post magnas

Menschen hindert wahnsinnig zu werden. Man errege ihre Selbstthätigkeit, man gewöhne sie an Ordnung, man gebe ihnen einen Begriff, dass sie ihr Seyn und Schicksal mit so Vielen gemein haben, dass das ausserordentliche Talent, das grösste Glück, und das höchste Unglück nur kleine Abweichungen von dem gewöhnlichen sind. So wird sich kein Wahnsinn einschleichen, und wenn er da ist nach und nach wieder verschwinden."—" Es bringt uns nichts näher dem Wahnsinn als wenn wir uns vor Andern auszeichnen, und nichts erhält so sehr den gemeinen Verstand, als im allgemeinen Sinne mit vielen Menschen zu leben."—GOETHE's *Werke*, *Band IV.* S. 108.

quascunque evacuationes morbus haud raro gra-
vior et curatu difficilior evadat. Effectus opii in
insanos maxime variant. Aliquando somnum con-
ciliat, saepius morbum intendit. Omnibus furen-
tibus, hujus medicamenti aliorumque dosis, mul-
to largior solito, necessaria erit. De camphoræ,
tartratis antimonii, colocynthidis, &c. utilitate,
parum inter medicos constat. Methodus est in-
sanorum tractandi, a LUCETT renovata* in qua
æger in balneum calidum descendit, et dum to-
tum corpus tepore balnei remollescit, et meabile
redditur, aqua frigida desuper in caput derasum
affunditur. Nonnunquam hoc modo morbus su-
bito levatur, tamen effectus ejus plerumque mi-
nime perstantes. Quod ad diætam insanorum
attinet, ea modo tenuis et parca quantitate, modo
valida et majore copia, dari debet, prout vires
ægri requirant vel sinant.

* Vid. BURSERII Institut. Med. tom. iii. p. 158.

very next bound and was unable to do so without
at this point. However, it will be shown to have
been an unavoidable part of the analysis because certain
variables such as age, gender, and race are used. This
shows that the researcher has to be aware of what
methodology is being used when analyzing data.
It is also important to remember that the
values of the variables must be consistent with the
interpretation of the data. For example, if one is
using multiple regression models, one must be
able to distinguish between categorical and
continuous variables. In general, discrete variables
are often used to represent categorical variables
and continuous variables are often used to represent
continuous variables. Continuous variables are
often represented by numerical values, while
discrete variables are often represented by categorical
values. For example, if one is using a multiple regression
model to predict the value of a variable, one
would use a continuous variable to represent
the variable being predicted. If one is using a
discrete variable to represent the variable being
predicted, one would use a categorical variable
to represent the variable being predicted.

¹ The term "multiple regression" is used here to refer to a statistical technique that involves fitting a linear model to a set of data points.